



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annalium Paderbornensium Pars ...**

Complectens Inprimis Fusiolem Episcoporum Paderbornensium, Deinde  
Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westphaliam ...

Ab Anno Christi 1228 Usque Ad Annum 1500

**Schaten, Nicolas**

**Monasterii Westphalorum, 1775**

Praefatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7971**

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

**P**rodit tandem in lucem plurimorum votis diu expetita altera Annalium Paderbornensium Pars, Historiæ vero Westphaliæ Tomus III. Qui ab anno Christi 1228 usque ad annum 1500. quindecim imprimis Episcoporum hujus diœcesis, reliquorumque per Westphaliam, Saxoniam & Rheni confluentes Antistitum, & clarorum Virorum res gestas; deinde Pontificum, Imperatorum, ac Principum acta & bella complectitur. Vix ullum in Europa regnum aut provincia, quæ suas non agant partes in hac historia. Romanam arcem varia concusserunt Schismata: Cui & minus favit Concilium Basileense. Vidit denique post longum exilium, Roma suum e Galliis reducem Pontificem pristinae sedi restitutum. Et licet Gallia sibi Avenione obnoxios Pontifices adversus Romanorum Imperatores non semel concitarit; vicit tamen Germania præfuli suo constanter obstricta & devota. Sicilia Conradini & Friderici occisorum Ducum ostendit capita: nec multo post Gallorum omnium in regno versantium funera, Siculis vespas nuncupata. Hussitarum initia, cruenta bella, furorem, progressum, & interitum dabit Bohemia. In Austria videbis Habsburgicam familiam in thronum elevatam: In Lotharingia Burgundionum Ducem Carolum, Gallia terrorem, provinciis & armis insolentem suo in sanguine suffocatum. Belgium post alternas fortunæ vices, Geldria licet reluctante, Leonem suum subdit Aquilæ Maximiliani Imperatoris. Templariorum ordo, postquam 186 annis egregie pro Christiana Ecclesia militasset, post simestas plurium suorum cædes, plane extinctus, Gallis auctoribus, Germanis adiutoribus: an juste vel male, disputant scriptores. Saxoniæ superioris & inferioris provinciæ varie divisæ a Comitibus ad Duces translatae. Paderbornensis diœcesis, a Carolo M. Fundata, tot præclarorum Episcoporum & Illustrium virorum sedes, post multa superata pericula & bella, ab ipsomet suo Administratore Theodorico jam mox Coloniensi Archidiœcesi conjungenda, per decreta Pontificis & Basileensis Concilii ab interitu se vindicavit: ubi quoque videre licet, quam vasta id temporis fuerit Paderbornensium Episcoporum jurisdictio spiritualis. Reliquæ diœceses præsertim Moguntina, Coloniensis, Trevirensis & Monasteriensis etsi gravibus non raro motibus concussæ, incolumes nihilominus perstiterunt: Inter quam plurima bella Westphaliæ famosum illud Susatense, quod levibus initiis exortum, multis annis protractum, tandem opera Cardinalis S. Angeli compositum. In his sæculis pulveris nitrati & scoporum usus, ac Typographiæ ars in Germania inventa. Unum præcipue, æterna oblivione dignum, in hoc Tomo Christianam debonestat Rempubl. quod scilicet Imperatores, Reges & Principes Europæ, mutuis dissidiis, invidiis, & bellis collisi, cruentis gladiis propria sua viscera dilacerarint: & licet sæpenumero a summis Ecclesiæ præfulibus ad Bellum sacrum, adversus Christiani nominis hostes incitati, magna subinde promiserint subsidia, præstiterunt tamen pauca, vel nulla: & idcirco Turcis Constantinopolim, Bulgariam, Serviam, duo Imperia, 20 Provincias, ac ducentas florentissimas urbes, in prædam cesserunt. Et nisi duo fulmina belli Corvini & Scanderbegus Turcarum furorem sua virtute sistissent, Hungariam aliasque provincias suo quoque jugo subjecissent. Antiquum Christianorum malum, necdum hoc sæculo emendatum. Reliqua in compendio dabit Index, fusiùs Historia. Noluit Typographus ulterius Annales producere, ne materiam jam præparatam tertiæ parti uttraheret: cui si Westphalia Sancta, a P. Joanne Kloppenburg S. J. p. m. congesta, adjungatur, quartum & justum dabit Tomum. Vale Lector & frue.

